



W. 2. 36.



Uebersicht der Bücher Halle.



4  
SPECIMEN INAUGVRALE  
DE  
IVRE RESIGNANDI  
OFFICIALIVM PVBLICORVM.

---

QVOD  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS  
DIE X. MART. MDCCLXCVIII

PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
AVG. GVIL. MOECKERT  
RINTELIENSIS.

---

GOTTINGAE,  
LITTERIS BARMERIANIS.

SPICEM INAGRALE

DE

IVRE R. P. SIG. VANDI

OFFICIALIUM BIBLIORUM

CONSENSU ET AVCTORITATE

ILLUSTRISS. ILLUSTRISS. ILLUSTRISS. ORDINIS

IN VIROB. IURE HONORARIIS

DE X. MAR. M. C. C. LXXXVIII

AVG. G. V. L. M. O. C. C. R. E. R. T.

GOTTINGAE

IN AEDIB. BUCHH. M. O. C. C. L. X. V. I. I.



iv mapp .ibellor ea mētib mēndias  
itnat mētibetel hē mēreūq ea mētibet  
Viri veltūdam

LECTORI

**L**egenti mihi nuperrime praeclarum  
illud satisque notum scriptum Icti ce-  
leberrimi: SEUFFERT *Von dem Ver-  
hältnisse des Staats und der Diener des Staats  
im rechtlichen und politischen Verstande* —  
quamuis ingenio, doctrinae atque elo-  
quentiae, qua auctor sententiam suam  
exposuit, summam admirationem dene-  
gare non potuerim — dubia tamen  
nonnulla passim et imprimis contra ea,  
quae de resignandi jure officialium publi-  
corum dicuntur obuenerē, quae, cum  
de capeffendis summis in jure honori-  
bus cogitarem, ad eosque rite conse-  
quendos inaugurale aliquod scriptum  
publici juris facere mos iuberet,  
publico eruditorum examini offerre  
animum induxi: magis, ut forsan oc-



caſionem darem ea tollendi, quam vt  
ſufficere ea putarem ad ſententiam tanti  
Viri reſutandam.

Caeterum, quod initio mihi erat con-  
ſilium, paullo ſuſius atque vberius de  
re tam graui diſſerendi, jam variis  
cauſis impeditur, quae me cogunt ad  
capeſſendum, prius quam cogitauiſſem,  
gradum doctoralem. Habes igitur, le-  
ctor beneuole, leuam potius delinea-  
tionem praecipuorum argumentorum,  
a quibus decifio quaefitionis propofitae  
pendet, quam accuratam et perfe-  
ctam eius diſcuſſionem. Atque ut eo  
animo ad legendum hoc qualecunque  
ſpecimen meum accedas, te rogo.

SECTIO



---

 SECTIO I.
 

---

De natura atque indole nexus inter imperan-  
tem officialesque publicos.

---

 I.
 

---

Antequam ipsam, de qua differere co-  
nabor, quaestionem aggredi possim,  
neceffe est, ut de alia cum lectoribus  
meis conveniam, quaeid, quod pleris-  
que grauioribus quaestionibus juris con-  
tingere solet simulac Icti ejus rationem  
habere coeperunt, non potuit non con-  
trouersia juris euadere: *Qui scilicet ne-  
xus Imperantis eorumque sit, qui officio  
publico funguntur?* aut quod idem est,  
*qua specie contractus* — cum non nisi  
ex mutuo consensu talis nexns exoriri  
potest

potest — officium publicum ab imperante alicui committatur?

Insignis in ea re Ictorum dissensus est. Aliis contractus ille *Locatio Conductio Operarum* esse videtur. "Impendit, aiunt," officialis publicus vires suas siue animi siue corporis — *operas* in usum reipublicae, pro salario quodam — *mercede* (a). Alii, ne dignitas atque honor officiorum publicorum detrimentum inde capiat, timentes, in reliquo cum illis consentientes, non nisi nomen mutandum censent, atque Contractum *do ut facias* fundamentum illius nexus esse docent (b). Alii ex principiis de *mandato* rem dijudicandam esse malunt. Alii *privilegi* (c)

(a) STRUBEN rechtl. Bedenken III. n. 144.  
— KRESSIVS de iure officiorum et officialium, c. II. §. 15.

(b) HARPRECHT respons. 63. n. 77. LAV-  
TEBACH coll. theor. pr. §. 28. in tit. II.  
de locat.

(c) MALACORD diss. de publicis officiis abs-  
que iusta causa non auferendis. Gott.

alii precarii (d) naturam officiis publicis tribuunt.

## II.

Tam variae sententiae fere omnes tamen in eo conueniunt, vt, praecipua salarii ratione habita inde naturam nexus inter imperantem officialesque publicos deriuent. atque in hoc potissimum ab illis differt ea, quam ICrus celeberrimus nuper in peculiari libro exposuit (e). Summa eius est: quemcunque ciuem ad subeunda reipublicae, cuius membrum est, murera, perfecte obligatum esse; salarium non naturam mercedis, sed indemnisationis pro eo habere, quod quis priuatam suam salutem saluti publicae postposuerit; (suscep-

(d) MÜLLER ab EHRENBACH in hyparchologia. VII. §. 32.

(e) SEVFFERT von dem Verhältniß des Staats u. der Diener des Staats gegen einander im rechtlichen und politischen Verstande. Würzb. 93.

pto munere quo a sustinenda vel au-  
genda sua re impeditur) adeoque of-  
ficium publicum nihil aliud esse (f),  
quam *jus singulo civi ab imperante con-*  
*cessum, implendi, quod omnibus civibus*  
*incumbit, officium promovendi salutem rei-*  
*publicae, peragendis pluribus determinatis*  
*negotiiis ejusdem generis ad certum repu-*  
*blicae finem spectantibus.*

Nescio sane, vtrum magna, quam  
negari nequit eam sententiam prae se  
ferre, species veritatis, an eximia ars,  
qua auctor eam proposuit, an forsitan  
etiam id, quod dignior atque hone-  
stior color officiis publicis ea inducitur,  
effe-

(f) Ipsa verba auctoris haec sunt: "Ein öf-  
fentliches Amt ist ein Recht, vermöge  
dessen ein einzelnes Mitglied des Staats  
seine Pflicht, dem Staate zu dienen, durch  
besondere mehrere Handlungen einer und  
derselben Art in sich begreifende Dien-  
ste, nach vorhergegangener Einwilligung  
des Staats, zur Erreichung eines beson-  
dern Staatszwecks erfüllt." Paullo impe-  
ditorem hanc definitionem, a sensu au-  
ctoris aberrandi periculum evitare studens,  
clarius vertere frustra tentavi.

effecerit; ut tam multorum adfensum consequeretur. Equidem ipse aegre dubiis, quae accuratius eam exploranti sese obtulerunt, locum dedi. En quae potioris ex iis momenti mihi videbantur.

## III.

Primaria procul dubio causa substituendi hanc sententiam prioribus in eo est, quod aequiparatio salarii atque mercedis minuere videtur honorem atque dignitatem officiorum publicorum.

“Quodsi Locationem Conductionem, Operarum nexum illum imperantis officialiumque vocare vis — inquit auctor (g) — omne discrimen inter vilissimos mercenarios eosque qui excelsissimis dignitatibus ornati sunt, tollitur: Scilicet vterque conducitur, neque differunt nisi in eo, quod alius ad alium finem consequendam adhibetur.”

Vix

(g) pag. 6. cf. etiam p. 36. 37.

A 5

Vix opus est, vt adhuc aliquid ip-  
 sis verbis auctoris addatur ad refutan-  
 dam ejus objectionem. Quid? Nonne  
 satis hoc discriminis est? Quo alias,  
 quaeso, Vis, vt differant diuersae ho-  
 minum condiciones, quam eo, quod  
 excelsiori hic, viliori ille fini vires suas  
 confecret? — Equidem non video,  
 quo jure contendi possit: propterea  
 quosdam aequiparandos esse, quia *eun-  
 dem* contractum forsan vterque iniuerit.

Atque si quis credat, excelsiores  
 dignitates eo notari, quod cum vilio-  
 ribus officiis quodammodo conueniant:  
 dubito nunquam eam aequalitatem plane  
 tolli posse. Eodem jure aut potius  
 eadem injuria, qua cum infimo officiali  
 minister propterea comparatur, quod,  
 sicuti ille, operas suas pro mercede  
 praestat adeoque locat — eadem inju-  
 ria, inquam, dicere possis: nihil inter-  
 esse inter eos, quoniam uterque non  
 nisi *commune* omnibus ciuibus officium  
 exsequitur: seruiendi reipublicae, cu-  
 jus membrum est.

Ne-

Neque video, quid in eo turpitudinis sit, ut operas nostras locemus, nisi fortassis quaestum facultatibus animi quaerere turpe credas. Sed ita corrupti, prohi dolor! sunt homines nostri aevi, ut certe — rari sint, qui — quod pulcrum nimirum et decorum foret — non alio fine, quam ut salutem humani generis promoueant; nulla commodi proprii habita ratione, ingenio suo animique viribus utantur. Omnia hodie venalia sunt: eruditio, animi dotes ad mercaturam pertinere videntur (h). Locamus atque Venundamus ingenii uti corporis vires, modo emtorem inuenerint: atque adeo palam est haec veritas, ut vix operae pretium ducam, honestiorem colorem ei inducere studere. Percenseas omnes conditiones et ordines. Contractus medici cum aegro quid

(h) V. quae familia III. HEYNE ait Von dem Werthe des Nachruhms. in Bürgers Academie der schönen Redekünste. B. II. St. I. p. 56. 77.

quid aliud est, quam Locatio Conductio Operarum? (i). Locat patronus operas suas clienti (k). Mutes nomen mercedis cum eo salarii, honorarii etc. imponas illi, quodcunque aliud nomen voles: res semper eadem manet (l).

## IV.

Neque bene consulitur ea sententia officialibus ipsis, quippe quorum salaria

(i) L. 7. §. 8. ff. ad L. Aquil. Si medicus feruum imperite secuerit, vel *ex locato* vel ex L. Aquilia competere actionem, L. 25. §. 2. ff. *de operis libertorum*. Plerumque medici servos ejusdem artis perducunt, quorum operis non aliter perpetuo uti possunt, quam ut *eas locent*.

(k) L. I. §. 13. ff. *de extraord. cogn.* Diu Seuerus ab haeredibus advocati, mortuo eo, prohibuit *mercedem* repetere, quia per ipsum non steterat, quominus causam ageret. — Advocati ipsi studia sua aestimari posse, adeoque vere *operas* esse, non negant; id quod ex rationariis, *Deservitenbücher*, quae habere solent, quaeque libris mercatoriis haud dissimilia sunt, apparet.

(l) KRESSIVS de jure offic. et offic. p. 32. 33. — nec aliter merces, stipendium, salarium, gentium jure, nisi nominis sono differunt.



salaria, cum nihil aliud exigere quam  
 indemnificationem possint, verendum  
 est, ne valde imminuantur. Jam  
 enim salaria non secundum majorem  
 minorumque peritiam atque virtutem  
 constituenda sunt, sed secundum  
 majus minusve damnum, officiali  
 inde prouentum, quod suscepto  
 munere ab augenda aliis negotiis  
 ciuilibus (m) sua re impeditur. Apparet  
 diuitem ad officium publicum vocatum  
 vberius salarium exigere posse, quam  
 inopem, quippe cui non totidem modi  
 fortunae suae augendae praesto sunt.  
 Apparet etiam, fixa salaria plane locum  
 habere non posse.

Inconuenientiae inde emanantes non  
 fugerunt auctorem nostrum. En quomodo  
 tollere eas studeat. "Si priuati,  
 inquit (m), pactum ineunt, quo, praevidendum  
 est, alterutri paciscentium  
 damnum aliquod euenire posse: ad  
 euitandas molestas liquidationes, indeque

oriun-

(m) pag. 33.

oriundas lites de quantitate indemnificationis saepius jam pacto accessorio, contractui principali adjecto, convenire solent. Eodem modo res sese habet cum institutione officialium, quorum indemnificatio — salarium — pacto accessorio antea constitui solet. Atque hic quidem erigo salariorum fixorum. ~~ut~~ ~~illis~~ ~~juris~~ Si, quod jure tamen in dubium voco, unquam contingat, ut a privatis ejusmodi pactum ineatur, — certe negari nequit, valde inconsulte eos egisse. Attamen evenire possunt casus in quibus tale pactum minus reprobandum foret. Forfan ex natura contractus initi, aliisque rationibus certe cum aliqua verisimilitudine damnum alterutri paciscentium emerfurum colligi potest. Adest forsan certe aliqua norma computandi quantitatem damni eventuri. Sed quam normam, quam probabilem rationem sequi potes, in constituenda indemnificatione, si ne de persona quidem constat ejus, cui praestanda est? Et ita tamen res sese habet

habet cum fixis salariis. Adeo contrarium est verisimilitudini, fore, ut eadem indemnificatio aequè pluribus sufficiat; ut, si indemnificationis natura salariis tribuenda est, absurdum esset: praefigere salarium, quod non potest, quin, mutata persona officialis, quoque mutetur. Iam sublatis salariis fixis, quantis ambagibus opus foret, quae difficultates orirentur in constitutione officialis publici!

At non magis repugnat fixa constitutio salarii naturae ejus, si indemnificationem illud vocare vis, quam eadem convenit cum notione, quam ego, quidem illi tribuere malle. Mihi scilicet salarium nihil aliud est, quam merces officiali, pro operis cum officio suo conjunctis, praestita. Iam cum operae cum officio quodam conjunctae, ignota etiam persona officialis, aestumari possint: nihil obstat quin merces, pro illis operis praestanda, nulla ejus habita ratione,

tionem, atque vel ante ejus vocationem ad officium, constituatur. Praeterea — idque mihi quidem multo majoris adhuc momenti esse videtur — quid iniquius foret quam neglecta omni meritorum ratione, vberius salarium locupleti praebere, quam inopi, qui fortassis et virtute et eruditione longe illum superat? — Non est, quod verear, ne mihi quis objiciat: majori scientia aliquem majorem opportunitatem habere rei suae augendae; doctiorem eam ob causam suscepto officio majus damnum pati, quam indoctum; adeoque et majorem indemnificationem exigere posse: scilicet eruditio, animi vires omnino non ad modos acquirendi facultates pertinere debent; turpe est, animi viribus quaestum quaerere! — Quid simul perniciosius, quam auferre, saltem inopi, spem, acquirendi scientia sua, unde honestam vitam degere possit? incitamentum multis quidem non minus, quam spes magnae famae.

V.

## V.

## Probare studui

I. neque notionem mercedis naturae nexus inter imperantem officialesque publicos contrariam esse (III) neque

II. salarium bene ex principiis de indemnificatione dijudicari posse (IV.) lam

III. restat, vt ad eam quaestionem vertamur: num ciues ad officia publica subeunda perfecte obligati sint?

Praeternittam, quae ex origine officiorum publicorum deduci possent, argumenta negatiuae sententiae, cum meo quidem iudicio officiales publici potius ii sunt, quibus imperans oneris, administrandi rempublicam, quod ipsi proprie incubuisset, partem mandauit — quam socii imperantis in administranda republica; id, quod inde sequi deberet, si quis contendat: officiales non ex mandato imperantis,

B sed

sed ex jure quasi proprio, cuilibet civi competente, munera sua gerere (n). Concedere etiam, salva mea sententia, possum: primariam rerumpublicarum constitutionem eam fuisse, ut singulus quisque civis ad subeunda, quae communem salutem spectabant, munera perfecte obligatus fuerit, et ut — quod multo minus adhuc omni dubio caret — hic vel ille civis eo, quod cuidam negotio publico magis idoneus esset, singularem prae ceteris obligationem habuerit. Sed, quod mihi momentum quaestionis facere videtur, est hodierna fere omnium civitatum constitutio, ex qua, consuetudine tacite sensimque exorta, ciues solutis tributis, cet. ab obli-  
ga-

(n) Ita inuenies etiam, originem officiorum publicorum fere semper inde deduci, quod "folius principis longe insufficientis depre-  
hendetur cura, nisi singulae, supremae  
potestatis partes iterum aliis auctoritate  
publicae curandae *commitantur*." v. III.  
PÜTTERI instit. jur. publ. §. 232.

gatione illa primaria liberari praesumantur (o). Rarissima itaque etiam certe sunt, si quae existant, exempla coacti civis ad suscipiendum officium publicum. Neque hoc, etiamsi jure fieri posset consilii foret. Improbe fit, quod coacti facimus (p).

Caeterum vix necesse esse videtur; ut moneam; in casu necessitatis extinctam illam obligationem civium renasci, e. g. si idoneus ad administrandum munus quoddam, vir inueniri nequit.

## VI.

Jam, quantum equidem sentio, nihil obstat: quin antiquiori sententiae

B 2

de

(o) Neque hoc principis juris publici universalis repugnat. III. SCHLÖTZER allgem. Staatsrecht. p. 101. *Jedem Unterthan weist der Herrscher seinen Reihedienst an, oder, wenn die Dienste mit Geld vergütet werden, so fodert er Abgaben ein.*

(p) Montesquieu *Esprit des lois* V. 19. approbat coactionem ad munera publica suscipienda in rebus publicis — reprobatur in monarchiis.

de officiorum publicorum notione, et natura contractus, quo in officiales conferuntur, adsentiamus. Sunt nimirum officia publica *certa reipublicae negotia, quorum administrationem suo nomine peragendam imperans alicui commitit*. Lubenter subscribo ei, quod Cl. Vir loco quodam dixit (g): peculiare nomen conuentioni, qua officialis ab imperante instituitur, haud bene indi posse, neque eo opus esse, quippe cum distincta cognitio naturae et indolis conuentionis alicujus sufficiat ad vel accuratissime definienda jura et obligationes inde oriunda. Verumtamen, ne iis aliquid desit, qui, quicquid ad jurisprudenciam spectat, pannis juris romani vestiri cupiunt, adjiciam: contractum institutorium vocari posse, *mandatum*, si gratuitas operas praestat officialis, *Locationem Conductionem Operarum* aut *Contractum*  
do

(g) pag. 26. 27.



do ut facias, si pro mercede aut salario officio fungitur.

## SECTIO II.

De jure officialium publicorum dimissionem ab imperante exigendi.

### VII.

Praemissa vera notione officiorum publicorum, expositaque natura contractus, quo imperans ea alicui committit, jam facilius erit: de ea quaestione iudicium ferre: *num officialibus publicis dimissio petita jure denegari possit?* Scilicet cum, remotis dubiis de libertate consensus officialis in contractu institutorio, constet: huic contractui naturam omnium aliarum conventionum tribuendam esse, ex qua vterque contrahens praestita obligatione, quam subiit, ab vltioribus

B 3 prae-

praestationibus liberatur — nescio, quid  
 obtet quin *liberum officialibus publicis jus  
 resignandi* reddamus. Namque non vid-  
 eo, quo ii nitantur qui contendunt, in  
 contractu iustitatorio de negotio *con-  
 tinuo* conveniri inter paciscentes, a quo  
 commodi unilateralis causa recedi ne-  
 fas esse (r) Neutrum paciscentium de facto  
 se obligationi susceptae subducere posse  
 satis nota quidem regula juris est; sed  
 praefito eo, quod praestare quis promisit,  
 cessare obligationem istam non minus con-  
 stat. Neque propterea, quod negotia, quae  
 administranda officiali committuntur, in  
 re-

(\*) Eo argumento praeter alios (SCHLÖZER  
 Staatsanz. H. XXIX p. 13.) vitur L. YSER  
 spec. 57. m. 10. "Ministri non possunt —  
 „inuito domino resignare, cum enim, uti  
 „diximus, conuentio inter eligentem et  
 „electum ineatur, neutri parti liberum  
 „est; eam inuita altera tollere, obligatio-  
 „ni, quam sponte subiit, sine iusta causa  
 „renunciare." Moneo tantum obiter, modo  
 laudato loco alioque (spec. 870. med. 46.)  
 sibi manifesto Leyserum contradicere, vbi  
 expressis verbis *licere ministro* affirmat *offi-  
 cium resignare.*

republica forsan perpetua sunt: obligatio ea administrandi perpetua est, cum absque eorum damno administrantis persona mutari potest.

## VIII.

Aliud argumentum liberi juris resignandi ex jure emigrandi in Germania obtinente deduci potest. Scilicet nulla ratione habita ejus, quod videri possit: imperantem, cui ne jus quidem retinendi ciuem in imperio suo competit, multo minus in officio inuitum retinere posse: absurdum foret, vetare resignationem officialis, quae tamen, simulac officialis jure suo emigrandi vti vult nullo modo amplius denegari potest.

## IX.

Atque vsque ad nostrum aeuum ne in dubium quidem fere vocatum est illud jus officialis dimissionem exi-

gendi; quamvis de jure imperantis dimit-  
tendi officiales sine justa causa diutius  
jam disceptatum sit (s). Rarissima  
itaque sunt exempla denegatae officia-  
libus dimissionis. Inde etiam fit, vt  
plerumque in literis illis, quae super  
collatione officiorum conficiuntur —  
*Bestallungsbrieße* — imperans jus sibi re-  
servare solet, recusandi dimissionem,  
nisi certo, de quo convenit, temporis  
spatio ante petita sit. Apparet ex ejus-  
modi restrictione juris resignandi, de  
ipso jure non dubitari (t). — Neque deni-

(s) SCHLÖZERS Staatsa. H. XXIX. 46. sq.  
Nimis longum foret, neque id ad scopum  
mibi propositum pertinet descendere in  
hanc etiam quaestionem etsi admodum con-  
nexam cum priori. Monere tantum volo,  
impugnantes hoc jus imperantis, quantum  
equidem scio, non nisi aequitatis rationi-  
bus fulfos, certe *perfectum* jus officialium,  
munera sua inuito imperante obtinendi,  
nondum probasse. cf. III. HVGQ Lehrb. d.  
Naturr. §. 262.

(t) Ejusmodi restrictiones juris resignandi  
(unde idem colligendum) saepius etiam in  
legibus provinciæ atque statutis invenies. cf.  
C. O. C.

denique, vti in aprico est, consilii foret: cogere aliquem, ad officium continuandum cujus taedio captus est. Atque hodie quidem multo minus necesse est, vt adigantur qui ad officia suscipienda, quam vt abigatur turba munerata ambientium, qui imperantes lacessunt.

## X.

Liberum igitur ex regula jus officialium est, muneribus suis se abdicandi: attamen non sine omni exceptione et restrictione! Scilicet denegari jure potest est petita dimissio

1. Propter salutem publicam. Huc referendi sunt hi casus:

- a. si idoneus vir *gravi* muneri, quo quis se abdicare vult, gerendo inveniri nequit.
- b. si verendum, ne officialis resignaturus, mysteriis politicis, quae administratione officii publici cognovit, abutatur.

c. Si palam est, quemdam solo  
 animo reipublicae nocendi muneri  
 suo renunciare velle.

2. Saepius etiam ex natura ipsius mu-  
 neris, quod quis gessit, ejus resigna-  
 tio restricta est. Si munus cum certo  
 negotio conjunctum, quod semel in-  
 choatum, eadem persona perfici debet:  
 aut, si officium ipsum eo solo fine in  
 aliquem collatum, vt negotium quod-  
 dam peragat; ante consummatum hoc  
 negotium dimissio peti nequit.

3. Si denique de dimissione inter  
 imperantem officialemque speciale aut  
 expressum aliquid conuenit; ita, vt of-  
 ficialis aut plane juri resignandi re-  
 nunciauerit, aut qualemcunque aliam  
 obligationem sibi imposuerit — promissa  
 standum.

## XI.

Cæterum ex antecedentibus jam  
 apparet: officiali non licere, de facto  
 mu-

munere suo se abdicare: eumque certio-  
 tiorem principem de suo consilio facere  
 justo tempore debere. "Decet officia-  
 les," inquit Kressius (u), "dimissionem pe-  
 „tere reverenter; si secus facit, nec of-  
 „ficiam resignat, nec dimissionem rogat,  
 „sed clam excedit, aufugit: Princeps  
 „poena vindicare potest temeritatem ho-  
 „minis, et contemptum superioris."

(u) de jure officiorum et officialium c. XI,  
 §. 2.

THE-

---

T H E S E S.

---

- I. Delatio juramenti etiam in causis matrimonialibus admittenda.*
- II. Revocatio donationis propter supervenientiam liberorum non nisi aequitatis rationibus nititur — principis juris romani repugnat.*
- III. Testamenta judicialia, coram iudice incompetente confecta, valida sunt.*
- IV.*



IV. *Distinctio doli in directum et indirectum injuria reprobatur.*

V. *Testamenta juris sunt naturalis.*

VI. *Liberi naturales, subsequenti matrimonio legitimated, a successione in feudis arceri nequeunt.*

z

17. Distinctio habet in dictione et in  
rebus in se recipiendis  
N. Distinctio habet in dictione  
et in rebus in se recipiendis  
18. Lib. II. de dictione, sub dictione  
quod est in se recipiendis et in rebus  
in se recipiendis.






Kd 1544

(X2258474)

Kd 1544

120





B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

4

SPECIMEN INAUGURALE  
DE  
IVRE RESIGNANDI  
OFFICIALIVM PVBLICORVM.

QVOD  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS  
DIE X. MART. MDCCLXCVIII

PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
AVG. GVIL. MOECKERT  
RINTELIENSIS.

GOTTINGAE,  
LITTERIS BARMERIANIS.

